AD VENETIARUM DIOCESIM. B.R

Benedetto Rossi



TErrenis rebus exempto Joanne Cajetano Bragadeno recolendæ memoriæ Venetiarum Patriarcha, Dalmatiæque Primate, in Sede, S. C., sufficitur FRIDERICUS MARIA S. R. J. Comes De GIOVANELLI, cujus fuere Parentes Jo. Paulus, atque Julia Calbo, olim de Confinio S. Stephani Confessoris, quò Sacramenta Fidei suscepit. Ut alter Thomas Donato, Ejus Decessor VII. Anno M. XIID., pupillari ætate Hermolao Patre proditorié avulso, pietate, mo-

deratione excultus, vigilante Matre Marina Lauredano, a teneris Annis Pupillus & FRIDERICUS, ductante Deo, sub accuratiori piæ Matris cura Religionis ratione integrè perceptæ, mox, & subinde, exacta vix adolescentia, Pietatis, Moderationis, Humilitatis, Patientiæ, Charitatis fructus copiosè deprompsit. Provectus, Bavariæ primò, Romæ postea politioribus Litteris ad humanitatem ornatus, ultimò Paduæ Lauream meruit. Domi reversus, calcatis Familiæ honoribus Latio, Germania, Mediolano, Venetiis virtute partis, canonica ætate auctus ad Ecclesiam festinanter advolans opes non sprevit, ut viventem JESU CHRISTI Ecclesiam

siam effusè alere posset. Anno verò natus trigesimo Ejus permotus virtutibus CLEMENS Pp. XIII., Sui olim Concivis, honoris titulo Camerarium renuntiavit a Secretis. Patria interim FRIDERICUM prospiciens admiratione, citiùs quàm maximè potuit, Clodiensi Ecclesiæ, modestia invitum, præposuit; Factum BRAGADENUS Patriarcha, cujus memoria in benedictione, quando rescivit, modò libenter morior, dixit, quia Successorem cognosco meum. Lucerna hæc super Candelabrum posita fulgoris sui indeficientes radios omnimodè tàm emittens, quod triennio nondum impleto hoc in Pastorali Regimine omnium Optimatum, Civitatisque Ordinum

gaudenti plausu, ad Patriam elevatur Cathedram Nonis Januarii ad Æram Venetam Anno M. DCC. LXXV., Institutione Romana data XIII. K. Junii, Aloysio IV. Joanne Mocenico, Principe Anno XIII.; Nonis Junii Illi collato de more Pallio per Manus Illustriss., ac Reverendiss. D. D. Pauli a Ponte Archiepiscopi, Episcopi Turcellani, olim de Familia Carmelitarum Excalceatorum, cognomento a S. Joanne Chrysostomo. Pontifex Aulam ingreditur IV. Nonas Septembris suæ Exaltationis Anno I., Ductore Duce, assistente Senatu, comitante Clero, festivis Populi vocibus, Æribusque Sactis Plateis resonabilibus & Æstuariis. Tanta in triumphali pompa quis

non

non recogitat quantùm humilitate sit passus Humilis? Bonus Pastor se ad Oves exhibet Justus, Pius, Misericors: quantùm sanctissimis informatus moribus, suavitate effusus, percurram: notare satis ex Pastorali Officio Illius tantùm Epistolas Evangelica Unctione perfusas DE SPIRITUALI REGIMINE, DE MATRIMONIO, DE JUBILÆO, DE FESTIS. Fortis in difficillimis suæ Diœcesis Negotiis & Dogmatis gravi causa, etiam & Disciplinæ primo Sui Patriarchatus vix expleto quinquennio. In calamitatibus & invictus, pro Religione non veritus mori, invasione in Italia facta Publicæ Quietis Adversantium. Orationi assiduus; ultra modum stipis distributor Ægenis, destitu-

tisque Cœnobiis suo fraudatis annuo redditu, fatali adveniente Venetorum diruptione. Tornacense Collegium Patavii de Patriarchatus Abbatiali Jure sæpius Litteris, & Persona lustravit. Hortum conclusum Muriani monitis, largitionibus, frequentia ad Donarium convertit. Tot tanti Viri gesta Fama proferens ad Curiam Cæsaris, decus decori Ejus Nomini ut adderet FRANCISCUS II. Augustus, in Albo Illum scripsit Consiliarium intimum actualem Status V. K. Februarias Anno M.DCC.IIC. Hospitalis, qui & Hospitio, observantia, recepit Eminentiss., atque Reverendiss. Principem D.D. JOANNEM FRANCISCUM S.R.E. Cardinalem ALBANUM Episcopum Hostien-

stiensem, Sacri Collegii Decanum, Immortalem Ecclesiæ Patrem profugum in Romanæ Ecclesiasticæ Hierarchiæ eversione. Ad Parentalia persolvenda PIO VI. P. O. M. sua comodavit Basilica Sacrum Cardinalium Conventum, quibus & ipse Novendialiis piè interfuit. Benè valens religiosè accurrit K. Decembris Ritualibus Sacris in Ædibus S. Georgii Martyris peractis assistentia S. R. E. Patrum Cardinalium convenientium Conclave, ad Quos, juxta Decretum, scientèr habuit Orationem, laude confertam, Illustriss., ac Reverendiss. D. D. ANTONIUS MARIA GARDINI ex Congregatione Camaldulensi, Episcopus Cremensis. Humillimè Purpuratorum Senatum & invisit

ves-

vespere ante proximum venerandum Clausum, in cunctis a Quibus Integerrimus VIR assertus. Insequenti verò, albescente die, heu! improvisò apoplexia correptus, sine tamen spirituum interceptione, quia de venis effecta nimium oppletis, decumbit, in quo gravi versatus luctamine quindenis diebus, omnium postea gaudiali spe fermé restitutus apparuit. Non sine custodia, specie valetudinis, ad quintum supra trigesimum diem pervenit, quo temporis processu Sacramentis Ecclesiæ demissè expetitis, semel & iterum & sæpius ritè expiatus fuit. Spatio hoc autem exacto, solemni recurrente Memoria Ejus in Cathedra Divi Principis secundò acriùs aggreditur

omni

omni sensuum abrogatione duodenis horis. Aliquantulum inde, quasi a somno excitatus, in Se reversus, adstante precibus piissimo Fratre Joanne Baptista a S. Antonio Carmelitarum Strictioris Observantiæ Cœnobiarcha obsequio prosequendo, qui & a Suis erat Confessionibus, intellectus pauxillò inditium dedit: at Se prorsus iterum obliviscitur, & cum morte extremam colluctationem ingressus, placidè expirando, Illi reddidit Deus mercedem laborum suorum in V̄. Vigilia Noctis succedente IV̄. Idus Januarii Anno Christiano M̄. D̄CCC. (In Cœlis pronus faveat, suisque prospiciat Terris!). Sine querela Sui Patriarchalis Incolatus fuit Annorum XXIV̄.,

die-

Dierum V.. Temporalis LXXII., inchoatus festo die S. Stephani Protomartyris, quasi præsagium, quod Protopatriarcha Martyr futurus esset Religionis, Suæque Diœcesis. Protopatriarcha Martyr per undevigesimum Annum Humilitatis primò, expavescens continuò in Munere defecturus. Per triennium ultimò Protopatriarcha Martyr, robore animi, Pietatis, Demissionis, Charitatis, adeo invicta perferens patientia Sui, Suorum, & Italiæ adversa, ut de Illo dici liceat cum Ambrosio, *Mors in vita*(1). In Patriarchatu Suæ Gentis I., Venetorum XXVIII.- Exuviæ, plurium optato, balsamo delibuta,

(1) *De Paradiso Cap. IX.*

buta, & Inscripto, mortali Arca sita, privatìm Terræ ut data essent ad Cathedralis Posticum, (Sui Prædecessoris, XIII. exemplo Vincentii Diedo, qui Anno M. D. LX. humari voluit extra Portam Maximam spectantem Forum) ne quidem morte ut a Sponsa abesset, dictavit Suis in Tabulis publicè præcedenti Mense Decembrio rogatis. Committente, jacto mœrore, Conclavi, ad Fanum S. Francisci a Vinea XVII. K. Februarii Solemni Ritu Parentatus fuit ab Illustriss., & Reverendiss. D. D. . . . . Despuig Patriarcha Antiocheno, assistentibus pluribus Infula ornatis. Dignè, & fusiùs dicetur de tanto Antistite inter Funera publica habenda in Patriar-

chali

chali Basilica. Satis quoad me prædicabo, si scribam Posteritati:

FRIDERICUS MARIA PATRIAR.
MAGISTERIUM VIRTUTIS IMPLEVIT
A. C. M. DCCC.